

ov

nicht in Ab

10

U. g. 17, 9



JOHANNIS STRAUCHI, J. U. Do-
 -ctoris, & in Academia Jenensi Anteces-
 soris Ordinarii

Commentariorum

ad

QVINQVAGINTA
 DECISIONES

JUSTINIANI,

DISSERTATIO SECUNDA

super

L. ult. Cod. de Neg. Gest.

Respondente

CASPARO TILEMANNO WISENERO,

Hall. Sax.

J E N Æ,

Typis JOHANNIS NISII, ANNO

M. DC. LIIX.

Caspar Tileman Wisener



REVERENDISSIMO, SERENISSIMO
ATQVE CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. AUGUSTO,
Postulato Administra-
tori Primatus & Archi-Epi-
scopatus Magdeburgensis, Duci Saxoniae,
Juliae, Cliviae & Montium, Landgravio Thuringiae,
Marchioni Misniae, nec non superioris & inferioris
Lusatiae, Comiti Marcae & Ravenspurgi, Domino in Ravens-
stein,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

humiliter atque subjectissime
offert

Caspar Tileman Wisener.

PRINCEPS SERENISSIME,

EXercitium hoc Academicum ad gratiæ Tuæ
aram non tam affectat viam, quam suâ spon-
te festinat propemodum. Libens accipiat Tua
Serenitas munusculum, non velut litaturi qui-
dem cum propitium placare velle numen, te-
merarium fortè sit, atque jamdudum Tua signa
certa mihi ac clara, & prospera data sint. Ete-
nim per annos jam tum sex Illustrissimæ Sereni-
tatis Tuæ munificentiam expertus, magnum
studiorum meorum ornamentum, opemq; sen-
si. Quare cum meam immortalis beneficentiæ
memoriam nulla unquam delere debeat obli-
vio, neque antiquius certè, sanctiusve Augusto
Tuo nomine esse mihi debuit ullum, quod ve-
nerer, in quo acquiescerem. Gratulantis itaq;
laudesq; agentis animi signum hocce posui. Li-
bens Tua accipit Serenitas studiorum fructus,
quorum ipsa productrix est, ac fatrix beneficia.
Majus quid nondum licet. Licebit cum DEO,
Principe, ac die. Quibus faventibus, diffidentiã
à legitimo averti tramite, aut perditam, aut ignari
esse judico. DEUS O. M. Serenitatem Tuam
& universam Saxonicae familiæ progeniem vo-
lens propitius sospitet Patriæ!



JOH. STRAUCHIUS, D.

S. P.

Conferenti Interpretes juris, superioris ævi, cum veterioribus, qui statim ab recepto in scholas & forum, quasi postliminio, Justiniano claruerunt, ingens apparet differentia. Priscis enim illis, antiquitatis Romanæ, & humanitatis studii rudibus, qui in his, quæ ab antiquitatis cognitione intellectum capiunt, hæreret aqua, abesse non potuit. Unde ejusmodi locorum sensum ad mores sui sæculi intorquentes, pedem calceo, secus atque debebant, videntur aptasse. Accedebat balbuties ævi, quæ præclare etiam cum ratione subducta & subtili mentis acie dispuncta, illoto sermone inquinabat, omnemque gratiam adimebat. Quas Veneres Alciatus, Budæus, Briffonius, Connanus, Hotomannus, P. Faber, Ravardus ubi rursus adhibuissent, Juris Scientiam sanè Romanam nitore suo restituerunt, sed ut parum ad ea quæ in usu habemus, conferrent. Ut non dicam, tam inverecundè stylum in Tribonianum, ipsumque adeò Justinianum stringendo, parum abesse quin suæ sibi operæ pretium adimant. Certè præter delicias & jocalia humanitatis vix aliquid Priscis intactum aut non jam anticipatum attulerunt. Quare sint barbari usque Irnerius, Johannes, Martinus, Hugolinus, Resfredus, Bulgarus, Azo: sint aborigines ipsi, & si Dionysio Godofredo placet, etiam sesqui Fauni, certè ab his Faunis aut capiendum, si quid solidi ex Interpretibus requiras, aut cum ventum est ad usum, & schola ad vitam transferenda, serò invenies, quid distent flores frugibus. Ut optimè Hieronymus Magius sensisse mihi videatur, qui hos barbaros Jurisprudentiæ arcem tenuisse, neminemque ad eorum eruditionem, sæculo quantumvis undiquaque expolito, propius accessisse pronunciat. Solum Cujacium excipio, qui ita consummatam Jurisprudentiæ ideam complexus animo fuit, ut non solum rerum ipsarum pondere omnes Bartolos & Baldos, antiquitatis verò scientiâ & elegantiss Alciatos cunctos & Budæos superârit: sed ipsos Julianos, Scævolas, Papinianos æquaverit. Quod præfari ad te, VVisenere politissime, nunc malui potissimum, cui, bibitis ipsis legum fontibus, auctor fui ad priscos istos Aborigines, quos vocat Godofredus pater, si quando hæeres, è situ & pulvere excitandos, in primis autem Cujacium volvendum, revolvendumque. Sic enim fiet, ut Jurisprudentiâ à Veteribus Interpretibus nudam, & sæculi vitio etiam sordidam, torosis tamen artibus habitiozem, ac succi plenam ad nos transmissam, sordibus elutis, pristino Romæ suæ mundo contuque nunc denuò ornemus. Perge igitur, & hoc alterum Academiæ nostræ sæculum nobiscum pro virili exorna, ut, quod nobis quoque olim imputent, inveniant posteri.

Vale.

EXERCITATIO II.

Ad Quinquaginta decisiones,

Respond. CASPARO TILEMANNO WIESENERO, Hall. Sax.

CAPUT I.

ad L. ult. C. de Neg. gest.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| 1. Species presentis decisionis. | 11. Exceptio. |
| 2. Unde nascatur obligatio in N.G. | 12. 13. De prohibente ¶ Cui dubitauerunt. |
| 3. Voluntas agit dupliciter directo. | 14. Auctor quis dicatur in iure. Secundus auctor. Salmasius notatur. Auctoritas quid. Explicantur LL. XII. tabb. |
| 2. Et indirecto, quod ¶ Cui dicitur | 15. Controversia inter quos ¶ Cui fuerit. |
| 5. Non-nolle | 16. 17. Proculianorum rationes. |
| 6. 7. An nolle & non-velle differant. | 21. 22. 23. 24. Sabinianorum rationes. |
| 8. 9. Non-nolens quis intelligatur. | |
| 10. Gestor non tenetur, nisi de coeptis. | |

Verba Legis.

24. Imp. Justinianus A. Johanni P. P.

SI quis nolente & specialiter prohibente domino rerum, administrationi earum sese immiscuit: Apud magnos auctores dubitabatur, si pro expensis, qua circa res facta sunt, talis negociorum gestor habeat aliquam adversus dominum actionem. Quam quibusdam pollicentibus directam vel utilem, aliis negantibus (in quibus & Salvius Julianus fuit)

F

hoc

hoc decidentes sancimus, si contradixerit dominus, & eum res suas administrare prohibuerit, secundum Juliani sententiam, nullam esse adversus eum, vel directam vel utilem contrariam actionem, scilicet post denunciationem, quam ei dominus transmiserit, non concedens ei res ejus attingere, licet res bene ab eo gesta sint. Quid deinde, si dominus adspexerit ab administratore multas expensas utiliter factas, & tunc dolosa assimulatione habitam eum prohibuerit, ut neque anteriores expensas praestet? Quod nullo modo patimur: sed ex quo ea testatio ad eum facta est die profaciendis meliorationibus nullam ei competere actionem: super anterioribus autem si utiliter facta sunt, habere eam actionem contra dominum concedimus, suam naturam currentem. Dat. XIII. Kal. Decemb. Lampadio & Oreste Coss.

- L** Egem praesentem esse unam decisionum quinquaginta inter omnes convenit. Data XIV. Kal. Decembres, Lampadio & Oreste Coss. Ejus haec species: Titius negotia absentis gerere cepit, sumtusque in ea fecerat. Dominus denunciaverat Titio ne pergeret gerere. Quarebatur: An is, cui denunciatum, ne negotia gerat, si nihilominus in gestione perseveret, pro gestis utiliter post denunciationem habeat actionem ad recipiendum impensas.
2. Agitur de negotiis alienis gestis. Haec negotiorum gestio. Jctis Graecis dicitur διοίκησις πραγμάτων. Hinc Glosis basil. Νεγοζιόρου γέσπορο, exponitur τῶν διοικούντων ἀλλοτρίων. Νεγοζιόρου γέσπορο, διοικητῆς ἀλλοτρίων. Cum vero rebus se alienis temere ingerere in vitio & culpa sit l. 36. de R. J. oportet voluntatem Domini adesse. 3. Adest vero vel directo vel indirecto. Directo & formaliter per mandatum, gestionem antecedens, eamque producens, cer-

certisque finibus circumscribens. Voluntas enim hic est
 actus imperati principium positivè, quando mando res
 meas geri, & sic voluntas influit in gestionem directo. 4. 4
 Indirecto autem & interpretativè quando actus non est à
 voluntate explicitè, sed à verisimili & probabili agentis hy-
 pothesi, præsumentis eum, cujus agitur intuitu, ita velle, si-
 ve is sciat, & non prohibeat, cum impedire potuisset, sive
 penitus ignoret. 5. Hoc Jctis dicitur *non nolle*, & medium 5
 quasi est, volentem seu jubentem inter & nolentem, id est,
 impediens, vel prohibentem vel repudiantem. Quæ
 distinctio manifesto ab Ulpiano traditur *l. 1. §. scientiam. 3.*
ff. de tribut. act. scientiam hic eam, inquit, accipimus, qua ha-
bet & voluntatem: sed ut ego puto, non voluntatem, sed patien-
tiam: Non enim velle debet dominus, sed non nolle. 6. Docto- 6
 res quidem inter velle & nolle aliud sibi reperisse medi-
 um videntur, *non volentis in l. filii mater. 6. §. filius ff. ad Ter-*
ull. l. jam dubitari 86. pr. de her. inst. quasi qui dixerit; nolo
 adire hæreditatem, repudiasse, qui, non volo, non repudi-
 asse videatur. 7. Quod recte reprehendit jam olim *Bello-* 7
nus 4. supput. 14. cum nec usus nec ratio loquendi id ferat.
 Ex usu enim nolens is solus usurpatur, qui non vult, & vice
 versa is qui non vult, nolens dicitur. Ratio vero non ad-
 mittit, ut contradictoria vel extrema sui ipsorum sint me-
 dia. Ergo quia is, qui non vult, est is ipse nolens, adeoque
 extremum ejus qui vult, non potest non volens esse medi-
 um inter eum qui vult, & qui non vult, seu inter volentem
 & non volentem. Equidem verum est, quod *non velle*
 & *nolle*, quandoque differant, dum *nolle* significat repudia-
 tionem vel omissionem liberam actus alicujus, *non velle*
 autem interdum tantum quoddam negativum actus vo-

Iendi: Sed nec hoc significatu *non velle* medium esse potest
 volentem inter & nolentem, quia omnem actum volunta-
 tis removet & tollit, & tam velle quam nolle negat. Sed
 8 hæc prolixius exsequi non est hujus loci. 8. Obligatio
 ergo ex peculiari hac & specificâ Negociorum gestione ut
 mandantem non admittit, sic à non nolente solo, seu per-
 9 mittente rerum domino proficisci debet. 9. Ejusmodi
 autem non nolens non est præcisè is, qui absens est, sed &
 quandoque præsens. Ad hoc enim ne impediatur res suas a-
 gi dominus, sufficit, si ignoret præsens. Hinc glossæ Græ-
 cæ, νεχολόγημα γετόρημα, exponunt, τὸ πρὸς τῆς διοικήσεως ἀλλοθελῶν
 πραγμάτων ὡς ἀγνώμων δεσπότης ἀγνώμων. Absens autem,
 etsi non ignorat geri, non tamen pro mandante seu volen-
 te eò magis habetur, cum is demum mandasse videatur, qui
 in ipso negotio præsens non intercesserit *l. 18. l. 40. l. 83. man-*
 10 *dat.* 10. Porro ex hac permissione fluit, ut gestor non te-
 neatur nisi de iis quæ gerere capit. Et hoc discrimen est in-
 ter negociorum gestorem, & inter mandatarium, quod hic
 nihil prætermittere possit, quæ mandata ei sunt. Contra
 cum propria voluntas gestoribus fines gerendæ rei determi-
 net, *l. 20. C. b. t. l. tutores 39. §. 2. ff. de admin. tutor.* cui per-
 missio domini eatenus impedimentum juris removeat,
 quatenus negocii gerere volebat, non poterit gestor ulte-
 rius obligari, quam quousque utriusque voluntas ad ge-
 11 rendum concurrat. 11. Nisi contemplatione illius alius ad
 ea gerenda non accessit, quæ ipse neglexit gerere. *l. 6. §. 12.*
b. t. dummodo non constet tantum, sed etiam probetur
 hunc gestorem accessisse ad negocia gerenda eo tempore,
 quo sciebat alium adesse, qui hujus contemplatione absti-
 12 tuit gerendo. 12. De nolente vero dubitabatur, id est spe-
 cia:

cialiter prohibente & obnunciante? Et dubitabatur apud
 magnos auctores, ait Imperator. 13. Auctores tralatè hoc 13.
 loco dicuntur. Sunt autem in genere Romanis, & Jctis,
 qui firmitatem actui & fidem præstant, qui fundus alicui rei
 est, sic *laudare auctorem suum*, est eum, qui jus habendi præ-
 stat, cui fiditur, de juris translati firmitate, validitate, cujus
 auspicio actus valet, aut valere creditur. Glossæ: *secundus*
auctor, Βεβαιωτής. Intelligitur autem fidejussor ob evicti-
 onem datus, ut exponit Ulpianus *l. 4. pr. ff. de evict.* Dicit
 Jctus, *qui mancipio* (ita legendū, non mancipiū, *vide Cujac.*
21. Obs. 15.) *vendit fidejussorem non dare*. Quare? Nem-
 pe, quia hoc tantum præstare debebat, se dominum esse,
 non verò cavere fidejussoribus. Præstitisse autem hoc opi-
 nor, citando testes, qui mancipationi adhibiti fuerant.
 Hanc præstationem ait Cujacius *d. lo. appellatam fuisse, sa-*
tisdationem secundum mancipium, confer *lib. XI. Obs. 4. fin.*
 Ait Salmasius, se nescire, quid sibi voluerit Cujacius. *de u-*
sur. p. m. 209. Nimirum credidit Salmasius, ut *in l. 4. de*
evict. secundus autor dicitur, ita à Cujacio etiam *secundum*
mancipium nominari: sed fallitur literator, circa proprium
 Grammaticæ suæ objectum: Non enim vox, *secundum*, no-
 men est Cujacio; sed præpositio, non loquitur Cujacius de
 nescio quo secundo mancipio, sed de *satisdatione secun-*
dum mancipium, de ejusmodi *satisdatione*, quæ non fide-
 jussoribus fiat, ut aliàs, sed quæ secundum mancipium fiat,
 seu convenienter mancipio, & ut vulgò loquimur, quæ pro
 subjectâ materiâ sufficiens sit. Auctoritas ergo, est ipsa
ἀξιωμασία, manu tenentia, & ratio, ob quam firmi sumus &
 certi negotii cum auctore gesti. Præstare itaque auctori-
 tatem, est præstare firmitatem, *Βεβαιωσιν*, fundum fieri actui.

Hinc LL. XII. pro ipsâ præstatione vel actione ad evictionem auctoritas ponitur, ut quando dicitur: *Adversum hostem aeterna auctoritas esto.* Id est, adversus peregrinum perpetuò datur actio ad evictionem. *Fori bustive aeterna auctoritas esto,* id est, vestibulum sepulcri, bustumve nullo unquam tempore usucapiuntur, itaque perpetuo auctoritas & evictio præstanda. *Cic. 2. de LL. Intra quinque pedes aeterna auctoritas esto.* Id est, quinque pedes semper possunt evinci, nec possunt usucapi. *Usus auctoritas fundi biennium, ceterarum rerum annus esto;* Id est, usucapio & propterea etiam præstatio evictionis fundi durat biennium, secus atque Interpp. Legem XII. hæcenus exposuerunt. Sic LL. XII. & *Atinia furtiva rei aeternam auctoritatem* esse jubent, id est, æternam præstationem auctoritatis & evictionis. Et ita expressim Venulejus accipit in *l. ult. ff. de evict.* ubi re alienâ traditâ & pro derelicto habitâ amitti auctoritatem ait & exponit, id est, actionem pro evictione. Denique sic Paulus accipit *lib. 2. sent. tit. 17. ibi: Venditor, si ejus rei, quam vendiderit, dominus non sit, pretio accepto auctoritati manebit obnoxius.* Id est, venditor, qui dominus non est, de evictione non aliter tenetur, quàm si pretium solvendum sit. Ergo auctores in genere dicuntur Latini, qui jus agendi vel verè, vel secundum opinionem præstant, quorumque auspicio actus valent, aut valere creduntur; Sic auctores tutores *l. 3. ff. de auct. tut.* Auctores seditionis *l. ejusdem. 3. §. item is. 4. ad L. Corn. de sic. l. si quis. 38. §. 2. de pæn.* Auctor legis ad populum, auctores Juris, quibus ceu principibus sectæ & capitibus, nitimur, & quorum fide sententia de jure aliquo consistit *l. quero. 39. in med. ff. de act. emt.* Sic Gellio, 2, 10. Servius Sulpitius Juris Civilis auctor appellat-

pellatur, cujus responsis fidebatur; Ita ergo & Justinianus
 magnos Juris auctores usurpat hoc loco, 14. Ecquos verò 14
 illos? Proculum, quem eodem sensu non levem juris au-
 ctorem Divi Fratres in *l. Divi 17. ff. de Jur. Patr.* nuncupant,
 & Julianum, de quo inferius. 15. Proculeani actionem con- 15
 trariam gestori pollicebantur: Directam alii, alii utilem,
ait Imperator. Ambigue directa dicitur, & ut opponitur
 contrariæ & ut utili: hic cum de actione negotiorum ge-
 storum contraria sit sermo, Directam contrariam contra-
 riæ utili opponi necesse est. Vide de varia actionis dire-
 ctæ significatione Bach. *Tr. de Act. diff. 2. th. 18.* Alii ita-
 que ex Proculeanis actionem contrariam directam, alii
 contrariam utilem, quæ ex sententia edicti Prætorii accom-
 modabatur, dari volebant. 17. Videamus Proculi ratio- 17
 nem. Proculdubio autem ea est, quam reddit in *l. 17. §. 4.
 ff. de Inst. act.* Quod dolo malo videatur facere; qui ex ali-
 ena jactura lucrum quærat. Proponitur ibi Dominus lo-
 cupletior ex facto servi cui pecunia credita erat contra de-
 nunciationem domini. Quærebatur an contra credito-
 rem exceptio danda; *Si illi non denunciaverit, ne illi servo
 crederet.* Et Proculus quidem exceptionem domino ar-
 bitratur, dummodo ne facto locupletiori. Nam adversus
 locupletiores replicari concedit de dolo adjecta, quam di-
 xi, ratione. 18. Ergo nec dominus negotii, post denunci- 18
 ationem locupletior, ex aliena jactura lucrum quærere de-
 bebat. Imprimis cum hæc naturæ lex sit, *l. nam hoc. 14. de
 cond. indeb.* ob quam & contra heredem funeraria funeran-
 ti competit. *l. 14. §. 13. ff. de religios.* Et inde quoque est,
 quod contra locupletiores dominum actio de peculio
 habeat locum, quamlibet dominus cum servo contrahere
 pro-

prohibuerit *l. si quis servum. 29. ff. de pecul.* Imo & de in rem
 verso §. 4. *Inst. quod cum eo, qui in al.* Quæ ratione Procu-
 lus idem in specie, qua quis mandati fines excessisset, actio-
 nem mandati concedit, pro quantitate mandata *l. 3. inf. &*
l. 4. ff. mand. Quam negabant Sabiniani §. *is qui, 6. Inst. de*
 19 *mand.* 19. Et quæ quæso ratio sit, quod qui officii alieni-
 que comodi causa impensas faciat, non habeat actionem,
 quam habet prædo pro repetendis non tantum necessariis
 sed etiam utilibus impensis *l. 36. §. ult. l. plane. 38. ff. de pe-*
tit. hered. l. 5. C. de R. V. Cum nec in illo specialis prohi-
 bitio domini plus facere possit, quam in hoc prohibitio le-
 gis faciat. Præsertim cum prohibitio nil aliud operari pos-
 sit quam testationem voluntatis deficientis in domino, cui
 geritur. At vero illa domini deficiens voluntas non ex-
 cludit illicò actionem negotiorum gestorum, imprimis, si
 gestor in damno moraturus sit, *arg. l. 45. §. ult. & passim. h. t.*
 Quid? quod prædo ne animum quidem locupletandi do-
 minum habeat, quem habet gestor, cui propterea officium
 suum non debebat esse damnosum, eoque magis quod bo-
 20 na fide rem domini auxerit. 20. & quia animus nec donan-
 di adest, nec pietatis causa, nec in re illicita, quæ poenam
 hanc perdendi impensas mereatur, occupatus sit, nihil vi-
 21 debatur repetitionem impediturum; 21. Contra Sabinia-
 ni, & nominatim Salvius Julianus, negotiorum gestorum
 actionem denegabant, teste Imperatore in nostro textu.
 22 22. Cujus Julianæ sententiæ vestigium habetur *in l. 8. §. Ju-*
lianus ult. ff. de negot. gest. ibi cum ex duobus sociis, quorum
 negocia pro indiviso communia geri cæperant, alter geren-
 tem prohibuerit, alter non item, adversus eum duntaxat,
 qui non prohibuit datur actio negotiorum gestorum.
 Ita

Ita quidem ut nolit. Jctus eâ pertingi & eum, qui vetuit, aut ex ulla parte vel per socium, vel per gestorem aliquid damni sentire. 23. Ejusdem sententiæ fuit & Pomponius & Paulus in *l. si pro te 40. ff. mand.* in qua contra vetantem nec N. G. utilem admittit Paulus. 24. Hinc si quis prohibente hærede testatorem funeraverit, dat ei Ulpianus actionem funerariam, addit que rationem, quod Judex non debeat meram negotiorum G. actionem imitari. Ergo mera Negotiorum G. actio non est contra prohibentem.

CAPUT II.

In quo rationes decidendi.

SUMMARI A.

- | | |
|--|---|
| 1. 2. Ratio decidendi. | 15. Prohibitio reddit actum moraliter vitiosum. |
| 3. Rationis confirmatio. | 16. Martinus gloss. refutatur, qui dat actionem in fact. ut & Castrensis. |
| 4. Objectio. | 17. Ratio Castrensis examinatur. |
| 5. Solutio ejus. | 18. L. 32. de R. C. excutitur. |
| 6. Responsio ad rationem dub. Proculi. | 19. P. Busius ad partes vocatur. |
| 7. 8. Specialis ratio actionis de peculio, quare contra prohibentem detur. | 20. 21. Cum Grænevegio & Antumno. |
| 9. 10. Responsio ad alteram rat. dub. Proculi. | 22. Pilei distinctio repudiatur. |
| 11. Specialis ratio in actione funeraria. | 23. Sententia nostra communis. |
| 12. Item in actione mandati. | 24. In excessu mandati, an pro excessu detur actio N. G. |
| 13. Cur prædo utiliter impensa consequatur. | 25. Distinguitur ex Fulgos. |
| 14. Prohibitio legis in prædone cur non operatur tantum, quantum prohibitio hominis. | 26. Ad L. 20. de V. S. responsio. |
| | 27. Guil. de Cuneo distinctio ventilatur. |
| | 28. Rejicitur. |

G

Ait

- 1 **A** It Imperator: *Hoc decidentes sancimus si contradixerit Dominus & eum res suas administrare prohibuerit, secundum Juliani sententiam, nullam esse adversus eum vel directam vel utilem, contrariam actionem, scilicet post denunciationem.*
- 2 *nem.* 2. Ratio decidendi hæc est: Quod, cum prohibitio Jus operandi ab agente moraliter auferat per *legem sed si 11. §. de quo 2. & §. 5. vers. Item si plures ff. d. Instit. act.* consequens sit ut si nihilominus prohibitus facere impensas perrexerit neque alterum sibi obligare possit, & donasse præsumatur, per *l. si servus 27. §. si olivam 25. ff. ad L. Aquil.* Non minus quam si quis sciens indebitum solvit, licet repetendi animo *l. quod si quis 10. ff. de Cond. Ind.* 3. Quod prohibitus non possit alterum sibi obligare gerendo actum prohibitum, patet, quia obligationis ex gesto fundamentum est, quod probabiliter quivis velle præsumitur ea quæ in rem suam fiant, & quod patiatur vel permittat negocia geri, dum non prohibet: Quæverò patientia & permissio domini per prohibitionem planè excluditur. Non ergo nasci potest obligatio Neg. gestorum. 4. Nec est quod putes sufficere si rem ipsam habeat dominus, ex quo locupletior sit, exemplo furiosi, in quo licet nec expressa nec tacita esse voluntas possit, obligatur tamen ex *re l. 46. d. O. & A. l. 10. cum l. seq. de O. N. N. l. 2. C. decur. fur. l. 16. pr. de pignor. act.* & signate ex gesto *l. 3. §. 5. de N. G.* sanè obligatur ita: Sed ne sic quidem impendium rei alienæ inque rem domini versio obligationem, sed legis præsumptio producit, quatenus lex præsumit furiosum si intellectum haberet ita fieri velle seu permissurum esse. Eodem modo quo lex de infante, absente & similibus præsumit. 5. Nam & si dominus locupletior non sit ex gesto, tamen competit

rit actio gestori, dummodo utiliter geri cœpit. *l. 10. ff. b. r.*
 Perspicuo argumento, non rei versione obligari dominum
 vel gestione ipsa, ut Hilliger ad Donellum ex A. Fab. sed
 præsumptâ domini voluntate, & permissione officium ge-
 storis cujuscunque quasi anteveniente. 6. Non be- 6
 ne itaque accommodabitur huc illud Proculi, quod dolo
 faciat dominus ex re aliena lucrum quærens *l. 17. §. 4. d. In-*
stit. act. Qua ratione enim lucrum quod prohibendo repu-
 diat, intelligitur quærere? Quid enim est quærere, quam e-
 nixè persequi atque captare? Quod in prohibentem nequa-
 quam cadit. 7. At vero nonne hoc pacto in compi- 7
 latoribus Juris nostri cudetur faba, qui dissentientium se-
 ctarum opiniones reliquerint? Videamus. 8. Nimirum 8
 agitur ibi de institoriâ dandâ adversus obnunciantem, ne
 credatur servo institori suo. Ait Paulus, præponenti suc-
 curri exceptione, *si ille illi non denunciaverit.* Quid ergo si
 non denunciaverit? Si servus vel peculiatuſ est, vel pecu-
 niam creditam verterit in rem domini, exceptio replicatio-
 ne doli elidetur. Hic ergo replicatio doli non ex locuple-
 tatione, absolutè & indifferenter, datur, quasi in quavis a-
 ctione, atque ad eò & Neg. gestorum locum habeat: Sed
 consignatè exceptio vel replicatio doli secundum natu-
 ram actionis de peculio & in rem verso, (*quæ est pars actio-*
nis de peculio, quia in rem versum est pars peculii, vide §. præ-
 terea. 4. vers. licet enim. Inst. Quod cum eo) accommoda-
 tur. De peculio enim tenetur dominus, etiam si prohibue-
 rit cum servo contrahi. *l. si quis servum. 29. §. 1. l. 47. pr. ff. de*
pecul. Specialis itaque ratio in actione de peculio facit, ut
 prohibitio actionem impedire non possit, quatenus con-
 traditionem juridicam implicet, peculium concessisse ser-

vo, & nolle eum contrahere. Aut enim patiatur contrahere servum, aut adimat peculium. Quorum istud si non facit, censetur durare voluntas generalis, quâ concedendo peculium jus contrahendi non potest non concessisse dominus, ut specialis prohibitio, tanquam *de doli* cum concessio peculio insuper sit habenda. 9. Quae omnia longè habent secus in N. G. actione. 10. Non autem magnopere ad rem pertinet, quod nemo ex alienâ jacturâ debeât lucrum quærere. Nam prohibentem gerere non posse dici lucrum quærere jam diximus, *n. 6.* cum sit non minus contradictio, lucrum quærere & repudiare. Et quomodo quærere dicatur, cui nolenti obtruditur? Quomodo quærere cum damno & jacturâ ejus, qui reluctanti & invito ingessit, suâque culpâ? Culpâ enim est immiscere se rei ad se non pertinenti. *l. 36.* & quod quis ex culpâ suâ damnum sentit, non intelligitur sentire *l. 102. de R. J.* 11. Actio autem funeraria, ut ipse Jctus in *l. 11. §. 13. de relig.* respondet, non est Neg. Gest. mera, sed solutius æquitatem sequitur. Id est, æquitas in funerariâ non est ita certis inclusa finibus & cancellis, sed solutior, quàm in negotiorum gestione, idque propter religionem. 12. In actione porrò mandati hoc diversum est, quod qui mandat ad certam summam negotium, nolit quidem ultra obligari, sed velit tamen intra fines præscriptos. Quousque vult igitur, & consentit, eousque nascitur obligatio. Imò quia ultra mandati, secundum Paulum, non nascitur obligatio, quia hætenus tacitè censetur prohibitum, consequitur multò magis, ex actu disertè prohibito, non posse eam nasci. 13. Prædo autem impensas utiles officio judicis deducit. *l. 38. de her. per.* vel oppositâ doli exceptione, vel retentione. *l. si in areâ.*

areâ. ff. de Cond. ind. l. Paulus. 14. ff. de dol. m. exc. scilicet in
 iudicio universali hereditatis petitionis, quia hereditas,
 quæ in illo venit, ut per accessiones augeri, ita per impensas
 diminui intelligitur. *l. 20. §. 3. de her. pet.* Secus in iudicio
 singulari §. *ex diverso. 30. Inst. de R. Div.* sive reali sive per-
 sonali. Adeoque actio N. Gest. cum hereditatis petitione
 hac in parte nihil habet commune; tum quoque quia præ-
 do sumtus ut in rem suam, propriæ utilitatis causâ, non ani-
 mo obligandi alterum, eique negotium gerendi fecit. De-
 nique quia qui impensas facit in iudicio universali, non a-
 ctione aliquâ, sed exceptione tantum servet, quæstio autem
 nostra non est, an gestori detur pro impensis retentio, sed
 an actio contraria. 14. Prohibitio verò legis, si quæ 14
 prædonem reprimit, tantum ad possessionem spectat, ne a-
 lienum invadat, non verò, ne quam occupavit, meliorem
 reddat: At negotiorum gestori hoc ipsum prohibetur à
 domino, ne rem suam etiam utiliter gerat; adeoque pro-
 hibitio gerendi hoc includit, ut rem domini nec meliorem
 quidem facere ei integrum sit, ut ostendit Imp. in *verbis: li-
 cet res bene ab eo gesta sint.* Imò non datur N. G. actio, nisi
 ei, qui utiliter gessit *l. 10. §. 1. h. t.* Quâ ratione nec dubitari
 de aliâ specie Veteres poterant, an actio daretur, nisi ubi
 post prohibitionem utiliter impensum esset. Propterea,
 si nihilominus prohibitus pergat, etsi factò & proposito a-
 nimum non habeat perdendi & jaectandi sumtus, jure ta-
 men habere præsumitur; 15. Et omninò prohibitio 15
 gestionem illicitam facit, *l. 1. §. 5. Quod vi aut c. l.* Rectè
 itaque Julianus, & secundum hunc Imperator negant a-
 ctionem, tamque directam, quam utilem. 16. Quare 16
 frustra Martinus olim, vetus glossator, ut & P. de Castro ad

- hanc decisionem n. 6.* & qui hodiè eis adstipulantur, actionem
 17 in factum dant prohibito, ex æquitate, ut opinantur. 17.
 Quam verò æquitatem in eo quærit Castrensis, & Salicetus,
 quod lex permittat, invitum liberare solvendo; Sed ut ve-
 rum est, quod solvens pro invito liberet reum, cum libera-
 tio ipso jure per solutionem contingat; nec quicquam ad
 creditorem pertinere possit, quod debitor pro se solvi no-
 luit: Ita verum quoque est, solventem non contrahere ob-
 ligationem contra eum, pro quo solvit. Et quid quæso pro-
 fecisset Justinianus suâ decisione, si actio adhuc superesset?
 Cum in effectu nihil intersit, summòne jure, an ex æquitate
 actio competat? Neque hæc erat veterum controversia, an
 ex ejusmodi gesto sola N. G. actio non detur, sed an ulla a-
 18 ctio detur? 18. Nec juvat Castrensem *l. si me & Titi-
 um. 32. ff. de R. cred.* ubi sufficit pecuniam meam ad te pro-
 fectam esse, ut condictio certi ad repetendum locum habe-
 at. Sed in specie hujus legis, qui accepit pecuniam, locuple-
 tior factus est, non invitus & prohibens, sed maximè con-
 sentiens, etsi in eo erravit, quod pecuniam, non ut meam,
 sed ut Titii acceperat, quo casu, utur mutuum non esset
 contractum, ut Jctus ait, ne pecunia tamen sine causâ apud
 Titium futura esset, condictio certi, sine causâ, ut opinor,
 danda erat. Sanè prohibitio hîc differentiam una, & ut di-
 citur, omnem facit paginam, cum, ut sæpius dictum, ratio-
 ne domini actum reddat illicitum. Ratione gerentis au-
 tem non alium, quàm donandi animum inducat. 19.
 19 Equidem recentiores plurimi illam Martini, quam dixi-
 mus, opinionem sequuntur, quos inter est P. Busius *ad l. 31.
 §. libertus. ff. h. t.* qui quasi additurus adhuc Martini fen-
 tentiæ, distinguit, utiliter an inutiliter hic gestor impende-
 rit:

rit: Cum tamen nec Martinus actionem utilem aliter concedat, quàm impensis utiliter factis. 20. Idem senti-
 unt Grœnevegius *de LL. abrog.* ad nostram *L. ult. C. h. &*
Automne; Qui propterea, *cenfurâ juris Gall.* censet *hanc l.*
fin. abrogandam, & ita in Senatu Burdigalensi iudicatum
 refert. Verùm res illa iudicata Burdigalensis eadem ipsa est,
 quã allegat *Boër. decis. 47. n. 5.* neq; agit de impensis à gestore
 prohibito factis, sed ab emtore, qui obnoxius erat restitu-
 tioni ex retractu, quæ longè diversissima sunt. *Vide supra*
n. 13. de pradone diversitatis rationes duas posteriores. 21. 21
 Dissimilis quoque species nostræ est, quam Molinæus tra-
 ctat *consuet. Paris. §. 1. gl. 5. n. 88.* malè propterea Grœneve-
 gio pro se citatus. Sed, & quem idem adducit, Christinæus,
 auctor fieri detrectat. Nam *decis. 113. vol. 2. n. 6.* disertè asse-
 rit contrarium, auctoritateque utitur Petri Francisci Lin-
 glois. 22. Nec vera de jure est Pilei distinctio, actio- 22
 nem in factum concedentis in necessariis, v. g. si res debe-
 ret cadere in commissum, nisi solvatur canon. *Johan. Fab.*
brev. h. t. Sed non debebant Interpp. liberaliores esse in
 actionibus dandis ipsis Imperatoribus & JCrts, cum nec ra-
 tio juris actionem aliquam quamcunque admittat. *vide*
cap. seq. n. 8. Et cum nullus dolus in prohibente sit, (utique
 contemplatione Gestoris) in cujus arbitrio est, etiam rem
 suam perdere, neque actio in factum, quam Castrensis huc
 evocat *ex l. itaque. 28. inf. de dol. M. & l. 52. de R. V.* huc per-
 tinere potest. 23. Et hæc nostra, communis est Dd. 23
 sententia, teste Gomez. *tom. 2. c. 13. n. 11.* 24. Usque 24
 adeo, ut si mando expendere X, te expendente XX, & qui-
 dem utiliter, glossa neget, ad superfluum agi etiam N. Gest.
 posse. Quia ex quo habuisti mandatum limitatum, ad cer-
 tam

tam quantitatem, ultra eam actio non nascitur per *l. 31. §. 4. b. t.* cum prohibitio faciat cessare omnem actionem, tam directam, quam utilem, secundum Imperatorem nostrum. Sed tamen contrarium videtur glossa eadem velle, *ad L. si 25 stichum. in f. ff. de Nov.* 25. Itaque sic fortè habendum: Aut gestio est individua, puta, iussi emere equum vicenis, emisti quadraginta, & dominus aut debet approbare totam, aut totum repudiare, nec potest contractum dividere. *arg. l. cum queritur. ff. de adm. tut.* Quod si approbat, propter rati habitionem actio N. G. competit: Aut est dividua, puta iussi te in negocia varia expendere usque ad X, tu expendisti XX. Hic pro summâ mandatâ competit actio mandati. *§. 6. Inst. Mand.* pro superfluo nulla, ne N. G. quidem, quia tacitè prohibitum videtur, ne expendas ultra, cum voluntas finem erogationis fecerit *l. libero. 31 §. 4. b.* Imò si maxime tacitam prohibitionem hic nullam esse contendas, tamen concedere oportet, voluntatem ad superfluum, quod erogatum est etiam permissivè, in domino planè abfuisse. Unde propter defectum voluntatis nec mandati agi potest; nec negotiorum gestorum, quia dominus, quousque utile sibi negocium fore præsumsit, finibus mandati circumscripsit, ut ultra hos fines in gestore nulla probabilis præsumptio voluntatis domini esse possit. *Junge c. 1. n. 4. §. 5.* Non pertinet itaque ad eum negocium, nec ipse est, ipse gestum, nisi ratum habeat. *Vide Fulgos. ad h. text. n. 3.* Cum hoc ipso dominus testetur, sibi non expedire. Hoc autem casu cessare actionem respondet *Ulpianus in l. 10. in f. 26 b. t.* 26. Non obstat *l. 20. de V. S.* Nam in lege ista non prohibuit testator, ne plus impendi liceret, sed favore heredum certam quantitatem taxaverat, ne plus impende-
re te-

retenerentur. Possunt ergo plus impendere, non tamen
 ut actionem ad repetendum consequantur. 27. Sed an 27
 non fortè, cum quæritur de actione prohibito dandâ, distin-
 guendum cum Odofredo & Guilielmo de Cugneo, quem
 valdè subtiliter ita respondere ait Bartol. ad textum no-
 strum n. 4. & sequitur *P. de Castro n. 8.* an negotium nostrum
 fiat ipso gestu, puta si quis pro me solvat invito, quo casu a-
 ctionem esse dandam volunt, ob rationes, quas supra reje-
 cimus, an verò jam ante nostrum sit negotium, cuius gestio
 post prohibitionem cadat in speciem delicti. V. G. si im-
 penderes in colendo vineam meam, ingrediendo eam post
 prohibitionem, quo casu & ipse Guilielmus actionem de-
 negat. 28. Sed Guilielmiani hujus Cunei acies, facile ob- 28
 rundi mihi videtur. Nam primò contra *d. l. si pro te. ff.*
Mand. est, ubi negotium non cadit in delictum, & repetitio
 nihilo minus cessat. Deinde ingressus in alienum res per se
 indifferens est, quam illicitam demum prohibitio facit. Er-
 go prohibitio facit negotium incidere speciem delicti, qua-
 liscunque tandem is actus moralis sit, atque sic semper ces-
 sare actionem.

CAPUT III.

De casibus ad hanc decisionem non
 pertinentibus.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Decisio non pertinet ad impen-
sas ante denunciationem. | nem. |
| 2. Denunciationis forma. | 7. 8. 9. Alii casus à Dd. agniti, re-
jiciuntur. |
| 3. 4. Testificatio an de formâ de-
nunciationis. | 10. Respondetur objectionibus. |
| 6. Decisio non pertinet ad cessio- | 11. An gestor habeat retentionem. |

H

Ex-

- 1 **E**Xcipit Imperator à dispositione decisionis suæ casum impensarum ante denunciationem factarum. Ait: *Si dominus adspexerit ab administratore multas expensas utiliter factas, & tunc dolosa assumptione habitâ eum prohibuerit, ut neque anteriores expensas præstet, habere gestorem actionem*
- 2 *contra dominum concedimus sua natura currentem.* 2. Ut verò denuntiatio valeat, requirit Imperator, ut fiat vel in scriptis, vel si sine scriptis, cum personarum tamen præsentia, vel, ut Imperator loquitur, sub testificatione aliarum personarum. 3. Quæ testificatio utrum præcisè ad formam denunciationis, an ad probationem duntaxat requiratur, dubium est. Si enim propter solam probationem, tum si aliter constaret de prohibitione facta, puta, confessione adversarii, valitura prohibitio omnino esset: 4. Et Fulgositio *ad h. tex. n.* videtur pro formâ eam requiri, cum Imperator præcisè hæc duo disjunctivè exigat, aut testationem in scriptis, aut prohibitionem sine scriptis, cum personarum testificatione. 5. Prius tamen verius videtur, quod ipsa testificationis vox arguit; Personas enim requirit Imperator testificantes, qui fiant testes. Et facit argumentum, quod ex Doctoribus proponit idem Fulgosius: Nempe si, quando scit gestor contrariam voluntatem domini, etiam sine ulla denunciatione, non habet actionem contrariam, multo minus poterit agere, si denuntiatio est facta sine scriptis, & personarum præsentia, dummodo de prohibitione aliunde constet. 6. Deinde actionem gestor consequi potest, non quidem contrariam ex gesto, sed directam si creditor domini cedat actionem suam solventi gestori adversus debitorem, *l. 1. C. Nov.* Sed hoc forsan est in dubium. 7. Addunt Doctores alios casus, qui non pa-
- rum

rum habent dubii. Ut si quis expendit pro medicina ægroti prohibentis, si pro maritandâ muliere paupere, si ob non soluta tributa domus alicujus diruenda veniat, si quis captus ob maleficiû capitaliter puniendus, nisi solvat mille, si quis perpetuis carceribus damnatur ob æs alienum: his casibus pro invito etiam gestori solventi N. G. contrariam largiuntur Odofredus, Guilielmus, Pileus in Quæstionibus, Baldus, P. Castrensis: Invitâ, ut reor Jurisprudentia. s. Non enim ivit in creditum Justitiæ cõmutativæ aliquod hic gestor, prohibitione obstante, etsi fortè ex honestate debitores habet. Nec fidem domini is sequi potuit, qui ne sequatur, disertè prohibitus fuit. Hinc rectè Petrus de B. P. hanc determinationem, ut loquitur, Pillei procedere à remotis olim dixit, quod sentit & Cynus ad hunc textum & Fulgosius. 9. Nec favor publicus, quem allegant, actionem contra invitum dabit. Cum gestor intuitu ejus expendens, rem public. potius, quam nolentem Dominum obligare debeat. Sed quis favor Reip. esse potest, v. g. ne pœna à Rep. statuta habeat exitum? Puta à Rep. statutum est, ut tributa non solventis domus diruatur. Quis favor est publicus, ut solvat pro ipso alius potius, quam ut hæc pœna executioni mandetur, contra volentem in primis & merentem? Dices favorem esse, ne urbs ruinis deformetur: sane: sed nec debebat respub. legem ferre ipsa, contra favorem suum, illudque sancire, quod sibi necessariò obfuturum scit, eo casu, quando nemo intercedere velit pro debitore? Et si non potest respub. cogere debitorem in suâ ipsius causa, quomodo coget postea in causâ gestoris, cum ad actionem judicati res veniet in actione contrariâ. Inanem ergo & sine re actionē Doctores hîc largiuntur. Quis favor



favor publicus faciet, quando ob maleficio aut capitali-
 ter quis puniri mereatur, aut mulctari, ne, qui pecuniam
 repræsentari pro se prohibeat, capitalem subeat poenam?
 Cum prohibendo, ne pro se solvarur, elegisse ex duabus ca-
 pitalem videatur. Quod si quis pro ægroto, morituro po-
 tius, quàm sumtus medicationis restituturo, impensas fece-
 rit, pietatis potius ac humanæ cognationis intuitu, quàm
 IO repetendi animo fecisse præsumendus est. IO. Nec negoci-
 um faceffunt in contrarium adduci solitæ auctoritates. v.
 g. Augustini in *can. ipsa pietas. c. 23. q. 4.* ubi crudelis dici-
 rur, qui cum crueri vel invitas de domo ruiturâ possit, id
 intermittat. Non negem. sed obligatus est extrahere, non
 ex debito justitiæ commutativæ, sed officio pietatis, ut ipse
 Augustinus declarat. Ergo non debet negligere peritu-
 rum; ut ut sumtus etiam faciendi sint, sed actio ex debito ju-
 stitiæ ad repetendas impensas non nascitur: Eadem ratio
 est *can. XI. dist. 45.* Non officit quod Reipubl. interfit, ho-
 mines conservari *l. 7. §. 3. de bon. dam.* Intelligendum enim
 de innocentibus, alioqui multò magis interest nocentes
 tolli. Nec ad rem facit *l. Divi fratres, ubi Bart. ff. de pæn. c.*
l. 1. §. fin. de questio. Loquuntur enim de innocentibus, &
 II istæ. II. Hactenus diximus, quod contra prohibentem nul-
 la detur actio. Sed num quid gestori exceptio retentionis
 competit? Probabilis videtur Petri de bella pertica distin-
 ctio, an propterea post prohibitionem quis in gestione per-
 severavit, quod desistendo, impensas à domino ante prohi-
 bitionem factas non possit recuperare: puta; Vineam co-
 lui Domini pauperis, adversus quem, negotia deserendo a-
 ctionem inanem habiturus sum. Itaque pergo in cultura,
 ut exceptione retentionis mihi consulam. Respondet Pe-
 trus

trus uti me retentione posse arg. l. 30. l. qua omnia 25. in fin. de procur. Etsi enim textus noster absolute neget: Tamen id ad retentionem non videtur pertinere. 11. Imò dixerim, 11
 expresse hunc casum in ipsa decisione nostra exceptum. 8
 Nam Dominus pauper qui scit solvendo se non esse, hoc i-
 pso, dum prohibet, dolosâ assimulatione prohibet, ne an-
 teriores quoque impensas præstet. Igitur non tantum re-
 tentionem; sed nescio an non & actionem habiturus sit.
 Vide Cynum in h. n. 4.

CAPUT IV.

Quo quædam juris loca, quæ cum superius
 traditis pugnare videntur expli-

cantur.

SUMMARIÆ.

- | | |
|---|---|
| 1. Lex, 20. ff. h. t. proponitur. | 13. Sententia alia, nostra. |
| 2. Ludovicus Vitalis ad partes vocatur. | 14. Ratihabitio non producit actionem Mand. |
| 3. Refutatur. | 15. Quorsum ratihabitio ad N.G. obligationem? |
| 4. gestor debet contemplatione domini gerere. | 16. Ratio decidendi. |
| 5. Opponitur l. ult. h. t. | 17. Proponitur l. 9. h. |
| 6. Species legis explicatur. | 18. Pomponii assertio. |
| 7. Quid de actione contraria? | 19. A quo dissentit Scaevola. |
| 8. Ratio dubitandi. | 20. Quenam revera fuit Scaevole sententia. |
| 9. Ratio decidendi. | 21. Ratihabitio non tollit N.G. directam. |
| 10. Confirmata juris ratione. | |
| 11. Alia objectio ex l. 6. §. 3. h. t. | |
| 12. Cujacii sententia. | |

Diximus c. 1. n. 16. directam actionem ambiguè dici, & 1
 hîc intelligi non contrariæ oppositam, sed contrariam 2
 ipsam, quæ & directa & utilis habeatur. 2. Id verò confir-
 mat

mat Ludovicus Vitalis *var. lect. lib. 1. c. 13. ex l. sin autem. 20. ff. h. t.* ubi, si quis ejus, qui apud hostes decessit, negocia gessit, statuitur, directam & contrariam competere. Ait

3 *Vitalis* directam contrariam intelligi. 3. Inscitè. Jctus proponit, quod si quis apud hostes decedat, cujus negocia antè gesta fuere, & successorì & adversus successorem ejus dari actionem, directam scilicet successorì contra gestorem, contrariam gestori adversus successorem defuncti.

4 4. Porrò *c. 2. n. 13.* diximus, ut negociorum gestorum obligatio nascatur adversus dominum gerentem, oportere hoc animo esse, ut sibi obliget. Nemo enim obligatur invito, etsi quandoque invito obligamur, *ex administratione, delicto.*

5 5. Cui obloqui creditur *l. ult. h. t.* ubi negotio, tamquam meo, gesto, inter me & dominum nascitur actio nihilo minus Neg. gestorum, tam directa, quam contraria.

6 6. Directæ species hæc proponitur: Vendidi servum Titio, qui servus mihi rem aliquam subriperat, quam secum ad Titium pertulit. Titius eam vendit bonâ fide, quasi rem peculiarem, atque ita suum negocium gessisse existimabat, quamvis reverâ esset meum. Quæritur, re extinctâ an mihi actio N. G. detur adversus Titium de pretio? De re extinctâ quærit Jctus. Exstante enim eâ vindicatio competitura erat. Item quærit, de vendente bonâ fide. Contra malâ enim vendentem fide, & vindicatio esset, & ad exhibendum, quia dolo deserit possidere. Affirmat Jctus, me Titio obligatum, propter ratihabitionem meam, quæ negocium, quamvis contemplatione mei non erat gestum, ut reverâ erat meum, ita jam facit etiam haberi. Datur ergo directâ N. G. propter ratihabitionem, ut jam olim vidit Accursius, abs quâ fuisset, condici pretiû, quod sine causâ apud

apud me esset, debuisset. *l. 23. de reb. cred. 7.* Quid de contrariâ? V. G. 7
 Titius cum se heredem putaret Sempronii, solvit res proprias nomine
 hereditario, quas testator legaverat. Quæritur, an ei sit contra here-
 dem verum contraria gesti actio, ad recipiendum rei suæ precium? Ita 8
 ait Africanus. 8. At Titius non hoc animo solvit, ut aliquem sibi
 obliget, sed ut se liberet; Et potius condictio indebiti danda erat, ut
 puta ei, qui suo nomine solvit per errorem, *arg. l. quod nomine 8. l. re-
 petitio. 44. de Cond. ind.* 9. Verum enimverò, non solverat in hac 9
 specie Africani Titius suo, sed hereditario nomine, ut optimè supplet
 Azo. 10. Nam si suo nomine solvisset, utique non liberasset here- 10
 dem, neque quidquam negotiorum ejus gessisse dici posset. Ut ges-
 sisse autem dici queat, oportet heredem libertatum. Quod aliter
 fieri nequit, nisi solvendo, non suo, sed hereditario nomine. 11. Por- 11
 rô eidem tradito, de animo gestoribus obligandi dominum, & hoc ad-
 versatur, quod qui non contemplatione mei, sed lucri & mei depræ-
 dandi causâ negotia mea gerit, utique non habere videatur animam
 me sibi obligandi, & tamen actio ei datur, in quod ego locupletior
 sum *l. 6. §. 3. h. t.* 12. Cujacius *ad Afric. h. t.* actionem intelligit, 12
 non de contrariâ N. G. sed de condictione indebiti incerti, ad id, quod
 per errorem restituit, non usus retentione. 13. At verò non est per- 13
 inde omnino, alterius contemplatione non gerere, & animo sibi obli-
 gandi non gerere. Qui deprædandi causâ gerit, reverâ quidem non
 gerit contemplatione mei, & nihilo minus tamen animo me sibi obli-
 gandi gerere potest. Utrumque intendit, & lucrum suum ex gestu,
 & ut me insuper sibi obliget. 14. Supra quoque asseruimus cum Dd. 14
 ratihabitionem non producere actionem mandati, sed N. G. *l. 2. n. 25.*
 Nam quod mandato comparari dicitur, de effectu, non de genere a-
 ctionis intelligi oportere consentiant plerique *Accursio in l. 9. C. b. t.*
 15. Verùm dubitari hîc potest, quorsum ratihabitione ad N. G. a- 15
 ctionem inducendam opus sit? Nam, quo minus gestionem alicujus
 probo, eo magis hæc actio mihi videtur necessaria; si verò probem,
 hæc ipsa comprobatio actionem N. G. tollet. 16. Sed enimverò pos- 16
 sunt existere casus, ubi negotium, quantumvis contemplatione mei
 gestum, tamen ad me non pertineat aliter quàm per ratihabitionem.
 V. G.

V. G. si quis pecuniam à debitore meo exegerit, non aliter liberatio debitori contingit, quàm me ratum habente. Ergo nec ante negotiorum gestorum mihi adversus gestorem competit, quàm à ratihabitione. *l. 9. b. t.* Ita si ab initio negotium non erat meum, quod mei contemplatione gestum, non potuit ante mihi competere actio N. G. quàm ratihabitione meum fecerim, qualis casus *l. 6. §. 9.* proponitur. Ad hos ergo & similes casus pertinet, quod dicitur, ratihabitionem, actionem demum inducere. 17. Ad alterum verò dubium, quando negotium probavi, utrum hoc ipso actio N. G. tollatur pertinet. *Pomponius 9. ff. b. de* cujus explicatione, cum multa sit disputatio, paucis erit attingenda. Continet enim disputationem Scævola adversus Pomponium, utrum ratihabitione domini secutâ super sit actio N. G. 18. Pomponius negat gestorem domino teneri, qui jam probaverat gestum, 19. Scævola dissentit. Sed utrum hujus disputatio à versiculo; *videndum*, an inferius à verbo, *Scævola*, incipiat, non liquet. Plerique statim illinc incipere autumant. Sic autem omninò habendum: Utrique & Scævola & Pomponio convenit, quod ratihabenti gestor non tenetur. Pomponius autem ex hoc inferri opinatur, si post ratihabitionem gestor non tenetur, consequens esse, ut aut pendente ratihabitione actio N. G. directa similiter pendeat, aut post ratihabitionem nudâ voluntate penitus tollatur: Sed hoc absurdum videtur Pomponio. Ergo oportere, ut quia non tenetur gestor, interim pendeat actio. 20. Hanc illationem improbat Scævola. Non enim necessarium esse, si probato negotio non tenetur N. gestor, quod vel pendente ratihabitione, actionis nativitas, ut ita dicam, pendeat, vel secutâ ratihabitione actio nudâ voluntate proinde tollatur. 21. Ideo ait Scævola, *te mihi non teneri*, non esse accipiendum, quasi nulla competat actio, ne ad id quidem quod apud gestorem ex negotio est; sed quod eatenus, quâ probatum negotium, inutilis fiat actio. Quod probat Scævola ab absurdo, *in vers. ceterum.* Et ita rectissimè *A. Fab. 4. Conj. 10. & in Ration. b. t.* quem velit nolit probare cogitur Bacchovius, acerrimus ejus censor, *πρωτ.*

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle
002 381 974

3



sb.

7360



A **F** **o** **r** **i** **t** **e** **s** **e** **t** **o** **m** **n** **i** **a** **q** **u** **e** **m** **o**
h **u** **m** **a** **n** **i** **d** **i** **c** **t** **e** **s** **e** **t** **a** **l** **i** **q** **u** **a** **e** **s** **s** **e** **n** **t**



Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

AUCHI, J. U. Do-
nia Jenensi Antecese-
rdinariii
tariorum
AGINTA
IONES
NIANI,
O SECUNDA
de Neg. Gest.
ANNO WISENERO,
l. Sax.
N Æ,
IS NISII, ANNO
C. LIIX.